

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Modesta Inqvisitio In Novam Dogmatis De SS. Trinitate  
Explicationem Qvam Vir Cl. Pavlus Maty Nvper Proposvit**

**Mosheim, Johann Lorenz von**

**Helmetstadii, [MDCCXXXV?]**

**VD18 12377929**

Widmung

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16545**

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
VIRO  
FRID. WILHELMO HANNIBALI  
DISCIPVLO ET AMICO SVO IN PRIMIS  
CHARO  
*S. P. D.*  
IÒ. LAVR. MOSHEMIUS.

**P**VLcrum profers & eximium ingenii  
& eruditionis TVAE testimoniūm : nihil vero praeter exspe-  
ctationem nostram. Sic enim vixisti in-  
ter nos, tantum laboris & studii in po-  
liendo & colendo ingenio, quod solers  
& sagax divina TIBI concessit beni-  
gni-



gnitas, consumisti, omnes ut dudum  
suspiciati sint, si forte scribendo vires  
experiri velles, nihil mediocre & quo-  
tidianum a TE proditurum esse. To-  
ta disputatio TVA in diffici & sco-  
puloſo versatur loco: neque homo TI-  
BI in eo ſeſe obiicit ignavus, imbecil-  
lis & nudus, verum strenuus, acutus,  
ex toto denique armatus, nec rationis  
tantum, ſed Scripturae quoque copiis  
inſtructus. TV dextre ac prudenter  
laqueos declinas, in quos colla noſtra  
vir callidus & in primis perſpicax in-  
ferere tentat, cauſſam totam liberaliter  
& ingenu exponis, immo copioſius in-  
terdum, quam necesse erat, ne quid  
alicuius gravitatis omittere conſulto vo-  
luisse viderere, poſtremo in exiguum &  
angustum ita concludis hominem, vix  
ut appareat, unde elabi queat. Atque  
haec omnia aequiflma mente & ab omni  
vexandi & lacerandi virum ceteroquin

R 3

doctis-



doctissimum libidine aliena perficis. Nullum animi commoti signum: nulla vox acrimoniae testis: nulla cum antiquis sectarum ducibus comparatio: res cum re, ratio cum ratione, ingenium cum ingenio, homo cum homine certat. Est in optimis etiam ingeniosis, antequam annis, usu, exercitatione roborentur, tenerum nescio quid, molle, remissum, quod orationis abundantiam quamdam, rerumque ipsarum intempestivam exaggerationem parit, quum ad scribendum sese primum applicant. Nec ego idcirco ad severaverim, nihil commodius explicari, concinnius narrari, aptius concludi potuisse, quam a TE explicatum, narratum, conclusum est. Hoc vero prudens, sciensque confirmo, novo, quem aggrederis, divinorum mysteriorum interpreti, adversarium in TE obtigisse non ultimi ordinis, caustum, consideratum, modestum, dogmatumque caussas

¶



& consecutiones pervidentem. De re  
ipsa si differere TEcum vellem, ingens  
praesto foret materia: sed locus, tem-  
pusque resistunt. Hoc unum accipe:  
Nova, quam invadis, explicatio SS. Tri-  
nitatis universam fere convellit Chri-  
stianae religionis partem, quae creden-  
da nobis proponit. Aut haec tota refin-  
genda, aut illa repudianda est. Ecquis  
vero nos adbuc in tenebris ita latuisse  
credat, ut prima nesciremus initia, ex  
quibus dogmata ducuntur creditu ad sa-  
lutem necessaria? Ad TE redeo, VIR  
CLARISSIME! Noli decadere de  
curriculo, quod ingressus es, verum ef-  
fice, ut flores, quos nunc exhibes, ma-  
turi fructus consequantur. Cura, si  
Deum, si patriam, si ecclesiam, si me  
denique amas, ut indies maiores opes  
colligas, veraeque religioni atque pie-  
tati & praesidia, & ornamenta compa-  
res. Aderit divina clementia consiliis  
&



*& laboribus TVIS, eorumque animos,  
quibus custodiam rerum sacrarum in-  
ter nos commisit, ad TE fovendum &  
ornandum excitabit. Vale, meque dili-  
gere perge. Dabam in Academia  
Iulia d. XXX. mens. Martii  
MDCCXXXV.*

